

QVÆSTIO MEDICA

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM Die Iovis 3. Martij.

M. NICOLAO CAPPON, Doctore Medico, Præside.

An Vinum vitæ & staturæ detrahit?

I.

ANIMA hominis, una & simplicissima, perinde ac Nauclerus navem regit manu & clavo, uno calore, qui vis ejus est & magna potentia, eóque uno, quod is deposcit, alimento, cùm ipsum, quo cingitur, corpus; tum humanum genus tuetur. Hoc initio dissimile, multiplici coctione, quæ illius opus est, evadit corpori adeo simile; ut & in ejus quæ continenter decedit substantiæ locum sufficiatur; & ejusdem, quandiu è re est, molem amplificet; & cùm redundat, sepositum in parte aliqua, vi novi hominis procreatrice imbuatur. Qui porrò vitæ administer est calor, humorem quo detinetur dissoluit, dissolvunt, & domesticæ, peregrinæque causæ, quæ in viventia tacitè & apertè desæviunt, eaque interdum subitò opprimunt. Propterea nutritionis, quâ, quod perpetuò dissipatur, perpetuò instauratur, tanta est necessitas; ut vacatio ab altricis munere, mors sit. Cum ea arcta auctricis societas: Idem enim cibus, quâ amica est substantia, nutrit; quâ moles, auget corpora spongiæ in modum poros habentia, per quos is se insinuet, & moles se diffundat: de cætero hujus, ut & procreatricis, diversa ratio: Illa quippe licet ab ortu nutricis perpetua comes, simul atque vivens ad congruentem perduxit magnitudinem, cessatione torpet: hæc vix ante firma quàm illa sit feriata, vix ipso citiùs animali occumbit; illa omnibus, hæc plerisque inest: ambæ tamen gaudent consimili apparatu, & quemadmodum ad procreandum accommodatissima est caloris humorisque temperies; Ita quoque ad incrementum promovendum, calore efficaci, humore sequaci.

II.

PERMAGNI intereſt non ſolùm ad fingendum, augendumque corpus; ſed etiam ad prorogandam vitam, quis adſit calor, quis humor, quàm ſit idonea utriuſque commiſtio; hic, illius frænum eſt; hunc, ille citò abſumpſerit, ſi excellit & vorax eſt. Illum hic viciſſim extinguet, ſi nimius: ab hoc ipſo tenui & aqueo, licet uberi, quàm breve ſit ævum, argumento ſunt Ceraſus, Malus perſica, Piſces; quàm longum, ſi aëreus, pinguis, & tenax, liquet ex Cupreſſo, Ilice, Palma, quæ durant ultra ducenteſimum annum. Quin veluti fulget pulchréque fovetur flamma oleo fæcis omnis experte; fæcem depaſta, tetra eſt & obſcura; ſic moleſta ac moroſa eſt vita, niſi calor alatur humore puriſſimo, nihil in ſe alieni ac turbidi cohibente. Nuſquam autem præſtantior eſt & copioſior, quàm in muliebri utero, vitæ & corporationis officinâ; quò his eſt primordiis propior, hoc ad exporrigendos artus aptior; ætaris progreſſu ſemper degenerat, iiſdemque deſcendit gradibus, quibus aſcenderat; donec vitæ inſtrumentis uſu ipſo detritis, ſequatur interitus. Vt tamen diu ſartus maneat, faciunt quæ deinceps accedunt, Cœlum, Solum, Regio, Victus; in humidis locis ampliores homines, quàm in arentibus; olim in Aſia celſiores & formoſiores, quàm in Europa, ob blandi aëris mollitiem; Phaſiani, quòd in paluſtri tractu degerent, proceri; in mari majores belluæ, & prope perennes aquarum rivos, lætiores & ſublimiores arbores, ob humoris luxuriem, in arena humiles ſunt, & malignè proveniunt. Sed imprimis, quod caput eſt, exquirendum quæ cujuſque populi vita, quæ alimenta. Floret vigetque corpus opportunâ quiete, moleſtiarum vacuitate, & moderatâ exercitatione; an & ob eam rem Iuncearum virginum ac mulierum, quæ vix habent vitæ ſuæ modum, quáſque ſtrenua exercet inertia, vita & ſtatura brevior, quàm virorum? Ea profectò cibi potuſque vis eſt, quam nulla res æquet. Quibus pridem in uſu eſt lac, & placida aquæ non alentis, ſed eluentis humiditas, nonne vel horrido adverſóque cœlo ac ſolo, præſtant formæ dignitate, in eóſque excreſcunt artus, quos mirentur omnes? nonne & dant progeniem vivaciorem, valentiorem?

III.

TOTA re errant qui, quam nunc notare eſt, ævi, roboris, corporúmq; diminutionem aſtris aſcribunt. Beneficus eorum fulgor, rerum autor eſt & conſervator, non conſumptor; nec minùs ſua illos fallit opinio, qui acceptam ferunt effœtis propemodum elementis, longóque temporis ſitu confecto mundo; quaſi illa mutuis ultro citróque diſpendiis ac compendiis non recreentur renaſcantúrque quotidie; hic quotannis novâ pube non revireſcat. Iſtius detrimenti, haud ſecus ac felicioris proventus cauſa hæret potiſſimùm in potu ac cibo, quorum propterea tenendæ vires, quòd ſint quibus vitæ addatur; ſint & quibus dematur. Plane ut in eadem plaga qui calore humoréque multo circumfluunt, vaſtiores evadunt; ita eodem cœli habitu, qui cibo, maximéque potu, quo corpora magis extenduntur, ſuapte vi humido, dulci, & manſueto utuntur, reliquis corporis magnitudine antecellunt. Summa quippe ſtatura (quam ferè ſequuntur, robur,

ac productior ætas; quemadmodum contractiorem, infirmitas, breviúsque fatum) constat eorum compage, quæ fulciunt corpus, quæ si diu serventur humida & lenta, promptam habent ad incrementum mollitudinem & facilitatem, sin præproperè siccata durentur, rigeant, sursum erigenti calori non pareant, saxeámque soliditatem adepta, proferri amplius nequeant, subsistit accretio, & quidem ita, ut quibus in locis egregia altissimorum hominum robora extiterant, exiliora & turpiora visantur corpora, fugaxque vita decurrat velociùs.

IV.

VINVM, terræ sanguis, siccus est & calidus succus è maturis vuis expressus, qui fervendo vires comparavit: is liquor tametsi à multis, quibus est ambrosiâ potior, tanti fit; ut eo sublato, vivere recusent: Iure tamen prudens rerum dubitet, potúsne, an alimentum, medicamentúmve, an veriùs voluptarium sit venenum. Qui in homine summam manuum, oculorum, & linguæ petulantiam, mox hæsitantiam & incerta verba, incertósq; gressus; ipsúmmet statim fœdissimè stratum, & bruto posteriorem in vomitiones effundi, diffusâ demum imæ menti, imisque sensibus oblivione ac torpore, altissimo somno obrui viderit, quidni tanquam veneficij reum citet, qui id poculum dederit, quo sic homo hominem exuit? Certè vinum, vel si modus adsit, innocens nullum, & hoc nocentius, quò nobilius. Equidem dissolutos, defectos excitat, animis sollicitis onus eximit: & nisi eo nos quotidie proluerermus, haustum, velut extra admotum, morbis passim mederetur aliquibus. Cave putes esse in potulentorum censu, eductus ex uvis, Pyris, malisve succus, potus noster est; Naturæ, aqua, in qua, qui illius nutu reguntur homines, animantésque cæteræ acquiescunt; & cùm æstus ora ac viscera torret, unam desideramus aquam: non vinum quod sitim, quam illa sedat, accendit, auctâ etiam bibendi aviditate. Nec justiùs alimentis annumeraveris. Corpus siquidem quod pessimè alit, immutat, læditque gravissimè; scilicet ventriculo acceptum, miniméque mitigatum, quòd sit contumax & coctionis impatiens, citissimè suum virus quoquoversum spargit penè integrum; acri & è putredine nato calore, à naturali qui mitis & blandus est, alienissimo, igneóque quo pollet ardore, salutarem partium humorem helluatur, corpus, ceu morbi solent, coquit, exest uritque vitalia, leni semper humore irriganda, suâ sanie omnem veri sanguinis seminisque succum vel ebibit, vel corrumpit, nervos quibus corporis firmitas continetur, elidit. Vis plura, tam est ad nocendum efficax, ut per nutricis corpus, alumnum infantem necet.

V.

QVANTA homini pestis sit vinum quàm corpus mentémque miserè sauciet, docent faciei, nunc pallor, nunc turpis rubor, fœtens anima, tremulæ manus, obtusi sensus, ulceratorum oculorum, ut & ingenij hebes moriensque acies, mors memoriæ; ac si pridie plusculum te invitaveris, halitus, ructusque fœdi, sitis, inquies nocturna, furiales somni, diffutæ malæ, pendulæ buccæ, δυσαρέστησις, languidum corpus, fractus incessus. Quan-

tum & ad carpendam ætatem, corrumpendámque staturæ celsitatem valeat, nisi vis ejus cessat in homine, revincunt simiæ, Melitenses catelli, & reliquæ quibus digiti sunt quadrupedes, quas negant crescere meri potu assuetas. Quisquis vini voluptatem sectatur, latus præbet apertum hosti insidiosissimo. Quo nempe modo, qui stirpium radicibus calcem, fimumve, subjicit, præcoces fructus evocat, stirpem ipsam in præmaturum senium impulsam citiùs perimit: sic vinum dum festinatam pubertatem elicit, vitam præcipitat, ulcerosum ac putre corpus mutilat. Quantam verò necesse est fieri decessionem sæculorum sublabentium tabe, vitio à parentibus in liberos abeunte, & vetustate jam corroborato. Orbem terrarum lustra. Græcorum qui jam usque à priscis temporibus vites habent, corpora exanguia, colore, macie, & brevitate deformata, partus propè abortivi. Italorum, Gothorum, Longobardorum, Nerviorum, Germanorum, Gallorum olim candidorum & rutilorum, aliorúmque non paucorum, quamdiu vinum ignorarunt, quæ oris species, quàm pulchra, vegeta, & grandia corpora, quàm longa ætas? Contra Afri quondam tenues & pusilli, & quicumque vini potu corporum dignitatem perdiderant, ex quo Vati callido, at nefando addicti, istud ignaviæ fomentum ejurarunt, prolem corporis indole eminentiorem ac generosiorem summisére. Et Seres, illique Macrobij dicti Æthiopes, aquæ potores, nonne vitam multò, quàm mortales cæteri, diuturniorem coluére. Sic sunt res humanæ, ut primùm voluptas vivere cœpit, vita ipsa desiit.

Ergo Vinum vitæ & staturæ detrahit.

Proponebat Lutetiæ CLAUDIUS BERGER, Parisinus, A. R. S. H. M. DC. LXVII.

PARISIIS,
Ex Typographia FRANCISCI MUGUET, Regis ac Illustriss. Archiepiscopi Paris. Typographi.